



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Nobili Viro Comiti Tripolitano.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

utpote Patriarchæ Antiocheno, debitam obedientiam & reverentiam exhibentes, ejus salubribus monitis & mandatis intendatis humiliter & devotè, castro Cursarij cum pertinentiis suis & rebus mobilibus & immobilibus eundem contingentibus Patriarcham sine difficultate qualibet restitutus, juramento aliquo non obstante si quod forsitan alicui super hoc minùs providè præstitistis. Alioquin sententiam quam Patriarcha prædictus propter hoc rationabiliter tulerit in rebelles ratam habentes, eandem præcipimus inviolabiliter observari. Datum Viterbij v 11. Kal. Junij, pontificatus nostri anno duodecimo.

*In eundem modum scriptum est Episcopis, Abbatibus, Prioribus & universo clero Antiochene diocesis.*

*In eundem modum scriptum est Militibus, burgensibus, servientibus, Sirianis, Armenis, & aliis ligis hominibus Ecclesie Antiochene in castro Cursarij commorantibus.*

**NOBILI VIRO COMITI  
Tripolitano.**

*Epist. 39.  
Vt Patriarcha  
Antiochenum  
habeat com-  
mendatum.  
Vide epist. su-  
perioris.*

**C**Apit Ecclesie Iesus Christus, qui se honorari faterur in membris & etiam molestari, tunc feliciter dirigit acutus tuos cum piis locis & viris ecclesiasticis, qui ejus sunt obsequio specialiter deputati, tuum exhibueris auxilium & favorem. Sic utique Regi Regum, qui dominatur à mari usque ad mare & à flumine usque ad terminos orbis terræ, gratum te ac devotum ostendis, si ad nominis ejus gloriam & utilitatem Ecclesie sponsæ suæ commissa tibi usus fueris potestate. Si enim gloriam tuam quæris & finem tui laboris ponis commodum temporale, formidare non immeritò poteris ne, quod absit, is te reddat inglorium qui te fecit successibus temporalibus gloriosum. Tu ergo, fili, quanto majori præmines dignitate, tanto potius in conspectu altissimi te humilem exhibeas & devotum, Ecclesiam catholicam matrem tuam potentie tuæ brachio defendendo. Porrò inter ceteras Ecclesias quas fovere te convenit, Antiochenam Ecclesiam tanto te decet gratia specialiori diligere quanto eam, utpote devotissimam, inter alias parrochiales Ecclesias apostolica sedes sinceræ caritatis brachiis amplexatur. Quocirca nobilitatè tuam rogamus attentius & monemus, in remissionem tibi peccaminum injungentes quatenus tam Ecclesiam quam venerabilem fratrem nostrum Petrum Patriarcham Antiochenum ad ipsam cum gratianostre plenitu-

dine accedentem habens propensius commendatum, eidem ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram ad castrum Cursarium, possessiones & jurisdictiones Antiochene Ecclesie obtinendas, auxilium tribuas opportunum, ab ipsius & hominum & rerum ejusdem Ecclesie per te ac tuos omnimoda molestatione desistens. Alioquin sententiam quam Patriarcha præfatus in molestatores hujusmodi vel ecclesiasticarum rerum illicitos detentores rationabiliter duxerit proferendam ratam habentes, eandem præcipimus inviolabiliter observari. Datum ut in prima.

**DECANO ET CAPITULO  
Bituricensi.**

**A**Vdito processu quem circa electionem venerabilis fratris nostri Guilelmi Archiepiscopi vestri vos habuisse scripsistis, & intellecto quòd ipse pro reverentia dilecti filij nostri Gualæ sanctæ Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis apostolicæ sedis Legati, qui volebat ut ab eo prius confirmatio peteretur, oblata sibi regalia recipere noluit ad nostram præsentiam accessurus, cum dilecti filij P. Cancellarius & M. fratres & concanonici vestri, quos pro ipso & cum ipso ad sedem apostolicam direxistis, nobis humiliter supplicassent ut ei munus consecrationis & donum pallei concedere dignaremur, nos secundum morem canonicum in Romana Ecclesia observatum per quosdam ex fratribus nostris factum electionis & meritum electi examinari fecimus diligenter: qui cum electionis formam canonicam & electi personam idoneam reperissent, sicut nobis fideliter retulerunt, habito tandem tam cum ipsis quam cum aliis fratribus nostris diligenti tractatu, electionem ipsam auctoritate curavimus apostolica confirmare, ac deinde celebrato scrutinio ipsum electum consecravimus in Pontificem, eique palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officij, fecimus assignari. Cum igitur eundem Archiepiscopum ad gerendam Ecclesie suæ curam cum gratiæ nostræ favore sui que officij plenitudine remittamus, devotionem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus obedientiam & reverentiam ei debitam impendatis, ipsius salubribus monitis & præceptis humiliter intendentes, ita quòd per ejus sollicitudinem circumspectam Bituricensis Ecclesia favente Domino & spiritualibus proficiat

*Epist. 41.  
De electione  
Archiepiscopi  
Bituricensis.*

*Epist. 42.  
De electione  
Archiepiscopi  
Fuldensis.*